

CONCIO III.

SERVITUS DEI QUA IN RE CONSISTAT.

- I. In cognitione Dei. — II. In officiis charitatis. — III. In officiis religionis. — IV. In custodia mandatorum. — V. In studio imitandi. — VI. Quomodo possimus imitari Deum.

THEMA.

Qui mihi ministrat, me sequatur. Joan. XII.

Nemo est, auditores, qui se in alicujus domini servitium tradens prius non percontetur: Quod est meum officium? Quæ munia? Quæ functiones? Et parum sanus haberetur, qui in servitio constitutus, nesciret quæ sint partes sui ministerii. Omnes Christiani volunt dici et esse servi Dei, interim tamen certum est multos inveniri, qui nesciant munus suum, vel quid requiratur a servo Dei. Hocigitur quia nos ex parte docet Christus in hoc evangelio, cum ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur*, in praesentia exponemus fusius.

I. Consistit in cognitione Dei, et eorum, quæ ad ipsum pertinent.

Nam primo, debet servus dominum suum cognoscere, ut sciat ipsum esse dominum, se vero servum ejus. Hinc Pauli a Christo vocati prima ea vox fuit: *Quis es Domine?* Actor. IX. q. d. volo esse servus tuus et Dominum te cognoscere, si modo clarius te noscam. Praecedere debet hæc cognitio: *Nec enim potes*, ait S. Bern. ser. LVII. in Cant. aut amare quod nescias, aut habere quem non amaveris. Noveris proinde te ut Deum timeas; noveris ipsum ut æque diligas. Sic Bern. Servus diligenter observat titulos domini sui, ut iisdem eum compellet, et ab aliis compellari faciat; idem faciat servus Dei, noverit et profiteatur ipsum esse oceanum immensum essentiæ, bonitatis, sanctitatis, perfectionis, beatitudinis et gloriæ, a quo veluti fonte omnes angeli, homines et creaturæ cæteræ guttulam suæ entitatis, sapientiæ et virtutis emendant et participant; ipsum esse omnium sustentaculum, omnium locum, omnium ævum, omne denique bonum totius naturæ, in cuius comparatione nihil sit omne quod extra ipsum est. Secundo, debet indagare et cognoscere voluntatem domini sui. Quod etiam docuit Saulus, cum vocanti Christo secundam hanc redit vocem: *Domine, quid me vis facere?* Act. IX. Quare Christianus exquirat et probet, quæ sit: *Voluntas Dei beneplacens*, uti monet apost. Rom. XII. modo legendu sacros libros, in quibus loquitur Deus nobiscum; modo instando orationi, in qua nos loquimur cum Deo; modo audiendo verbum ejus. Ita S. Franciscus qui audiens Deum

sibi in corde loquentem, solebat gradum sistere, licet in itinere esset: mentemque intra se colligere, ut totus illi intenderet et statim exequetur, quod audierat. Quo imprimis medio ad apicem sanctitatis pervenit, teste Bonav. in ejus vita. Tertio, debet servus crebro stare in conspectu domini sui et de ipso cogitare: ita et servus Dei sæpe ad eum oculos attollere; juxta id Prov. III. *In omnibus viis tuis cogita illum*: et Tob. IV. *Omnibus diebus vitae in mente habeto Deum*. Denique, semper quasi coram ipso stare præsentemque intueri; quod petiit Deus ab Abraham servo suo, Gen. XVII. dicens: *Ambula coram me* (Chald. *servias coram me*) et esto perfectus. Idem docet nos Christianos Seneca gentilis, epist. X. scribens: *Sic vive cum hominibus tamquam Deus videat: sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant*. Quin et hoc ipsum exemplo canum discamus, qui ab hero se divelli ægre patiuntur, et si heri jussu alio transferre eos coneris, renientur et abstracti ad herum subinde respicient. Atque observatum est (ut scribit Anton. de Balinghen, in zoopæd. tit. *Deus*) cum unus de istis canibus augusto mense summo æstu, jam tria millia passuum jejunus cum hero itidem jejuno confecisset, atque is advertisset exerta lingua canem vehementer sítire, jussisse vi abruptum transferri ad proximum fontem: e quo bilit ille quidem, sed ita ut ad haustus singulos caput atque oculos attolleret eosque ad viam converteret, heri videndi causa, qui ubi abesse herum suum deprehendit, licet nondum extincta siti, nequivit contineri, quin citissimo gradu herum suum repeteret. Hunc in modum mente cum Deo assidua versemur, Deum subinde respectemus, cum eo colloquamur, ab eo pendeamus, illi adsimus, etiam cum edimus vel bibimus, aut aliud quid agimus, aut si aq' tempus ab eo divelli nos oportet, mox ad eum celerrimo cursu recurramus: sic cum Deo ambulavit Henoch, Gen. V. et Noe, Gen. VI.

II. Consistit in officiis charitatis et benevolentiae. Primo, dum de bonis ipsius gaudemus, et illis ex intimo cordis affectu ipsi gratulamur. Hoc enim facit bonus et fidelis servus, gaudet de divitiis et gloria domini sui; delectatur audire laudes ejus. Sic Ap. IV. cum quatuor animalia darent Deo gloriam, et honorem et benedictionem sedenti super thronum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, eamdemque laudem confirmantes ac repetentes dicebant: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem*. Pari modo cum audimus vel videmus bruta animalia, i. e. peccatores hæreticos converti, et Deo laudem canere, inde nos gaudeamus et Deo gratulemur non secus ac se

nobis ea gloria obtigisset, imo longe magis, quia Deo competit, non nobis. Sic dicebat S. Aug. apud Ribad. in vita S. August. et alios quos citat Corn. Lancillot, in vita ejusdem sancti, l. III. c. XLII. « Domine valde exultat anima mea, dum cogitat quod tu sis Deus. verum siper impossible fieri posset, ut Augustinus esset Deus, et tu es Augustinus, omnino vellem esse Augustinus, ut tu es Deus. » Quod intelligendum non de mutatione personæ, sed status conditionis, q. d. si ego manens Augustinus, haberem dotes et gloriam tuam, tu vicissim manens Deus haberem miseras meas: ago assumere mihi miseras meas, et redderem tibi gloriam et dotes tuas. Dum secundo, ejus gloriam promovere omni studio conanum, animam corpus, curas et cogitationes omnes ejus dignitati amplificandæ, et honori tuendo ac defendendo devovémus. Sic boni aulici suo principi toti addicti faciunt; illius enim virtutes et potentiam ubique extollunt, ut omnes in ejus amorem et obsequium allicit, nec sustinent ipsius nomen æquo quam lædi. Cujus exemplum habemus in Abisai, qui audiens maledicta, quæ una cum lapidibus jaciebat Semei in Davidem, zelo honoris domini sui: *Quare, inquit, maledicit canis hic mortuus domino meo regi?* Vadam et amputabo caput ejus, II. Reg. XVI. Dei igitur servus, ubi honorem ejus lædi videt, strenue se opponat et delinquentes arguat, quemadmodum fecit archangelus Michael, qui Luciferum Deo se opponentem, zelo honoris divini incensus e cælo in gehennam turbavit, facto ipso exprimendo nomen suum, Michael, hoc est: *Quis ut Deus?*

Tertio, dum omnia ad ejus gloriam facimus, vel referimus quidquid agimus. Sic enim domino suo laborat servus bonus, quin et dominus suo comedat, domino suo dormit, domino suo se vestit, quia hæc ideo facit ut domino suo prosit. Ita serviemus Deo, si, ut ait S. Greg. V. in Ezech. hom. XXII. *Omne quod facimus, non nostro, sed Dei zelo faciamus*. Eodem pertinet, quod S. August. tractat. V. in Joan. ait: *Ministrant Jesu Christo, qui non sua querunt, sed quæ Jesu Christi*. Qui non ad Dei gloriam sed ad sicutam vel gloriam, vel commoditatem quidquam agit, suffurantur et retinet in suis manibus redditus domini sui, qui per manus servi transire debent ad dominum. Servus bonus census domini dirigit per manus suas ad manus domini sui.

III. Consistit in officiis religionis primo, dum illum colimus sacrificiis, ceremoniis, hymnis, laudibus, precibus, votis, oblationibus, decimis. Hoc est officium angelorum et sanctorum in cælo, qui toti in eo sunt, et Deum honorent, laudent, benedicant, quod nos hic in terra imperfecte pe-

ragimus et inchoamus potius. Ita solent subditi variis munericibus honorare suos dominos, et obsequiis venerari, v. g. ad eorum commemorationem caput aperire, propinare poculum ad eorum sanitatem, ad eorum imperia manum osculari, genua inflectere, etc. Debet ergo servus Dei æmulari perfectam illam beatorum servitutem, et curare imprimis, ut singulis diebus impendat Deo certos religionis actus, præsertim orationis. Cur enim præcepit Deus in veteri lege quotidie sibi offerri agnum bis, mane scilicet et vespere, quod dicebatur juge sacrificium, Exod. XX. Num. XXVIII. nisi ut moneretur quisvis offerre Deo sacrificium saltem orationis matutinæ et vespertinæ? Talis Dei servus fuit B. Thomas Morus Angliae cancellarius, qui in publica supplicatione crucem præferebat sacerdoti, et aeditui munus obibat, serviebat sacerdoti sacrificantem eique canenti indutus superpelliceo succinebat: cumque dux Norfolciæ casu superveniens diceret, hoc dedecere, esseque contra dignitatem cancellarii regi, adeoque regi Henrico displicitur respondit: *Domino meo regi displace non potest, quod ipsius regis Domino, Domino inquam dominantium obsequium impendo*.

Secundo, dum vices ejus, si sacerdotes vel superiores simus, sedulo obimus et dignos tanto munere nos præstamus, juxta id Lev. XIX. *Sancti estote, quia ego sanctus sum*.

Tertio, si pauperibus et afflictis operibus misericordiæ subveniamus. Illi enim sunt pedes Christi, quos cum Magdalena capillis nostris tergimus, cum superfluis nostris eos juvamus, ut docet S. August. in Psal. LI.

IV. Consistit in custodia mandatorum et in officio virtutis. Primo, dum aliquid boni facimus, ut mandatis ejus pareamus et ipsis gratificemur. Ad hoc enim servi boni omnes intendunt vires suas ut domini perplaceant, ideoque ea faciunt, quæ dominis esse grata vident. Deo nostro grata sunt opera virtutum; his ergo incumbat Christianus, si Deo placere quærat. Opera bona hoc intuitu (ut Deo scilicet gratificemur et voluntatem ejus impleamus) facta induunt aureum quemdam et supernaturem splendorem ac valorem, et promerentur vitam æternam. Exod. XXI. præcipitur, ut servus qui ex amore domini sui perpetuo ei vult servire, applicetur ad ostium heri, perforetur ei auris subula, sitque servus ei perpetuus. Christianus ejusmodi servus est, qui se Dei servitio perpetuo addixit in baptismo, ideoque ad fores ecclesiæ tetigit ejus aurem sacerdos, dicens: *Ephphetha*, id est, adaperire, scilicet ad audiendum Dei mandata. Nemo nostrum hinc exemptus est, ad ostium Domini nostri omnes affixi sumus.

Secundo, dum ejus negotia nostris præferimus. Id enim facit servus vel certe facere debet, ut discimus ex parabola Christi, Luc. XVII. *Quis vestrum, inquit, habens servum arantem aut pascentem boves, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe; et non dicat: Para quod canem et præcinge te et ministra mihi donec manducem et bibam et post hæc tu manducabis et bibes?* Debet servus Dei ministrare prius domino suo et postea sibi vacare: prius adesse rei divinæ, postea mensæ: prius dies festos colere, postea per hebdomadem labore, etc.

Tertio, dum ejus voluntati nostram conformamus. Sic enim videmus servos observare sensum et propensiones dominorum suorum eorumque capiti sese, quantum possunt, accommodare. Quanto magis decet hoc facere servos Dei, siquidem voluntas Dei nunquam errare potest, sed est ipsa lex et regula æquitatis et virtutis, nostra autem voluntas facile aberrat et ad malum prona est. Ejusmodi servus Dei fuit Judas Macchabæus, qui, I. Macch. III. suos ad pugnandum excitans, dicebat: *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat, q. d. sive vivere nos velit Deus, sive vinci, pugnemus pro gente et sacris nostris.* Nec caret laude sua illud Rudolphi II imp. symbolum: *Omnia ex voluntate Dei,* apud Maiol. tom. IV. canic. col. V.

V. Consistit in studio imitandi eum. Servus enim sequitur dominum suum, nec tantum gressibus; sed et moribus ac vestitu imitari eum satagit: *Præcedat dominus meus,* inquit Jacob ad Esau fratrem suum, *ante servum suum, et ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut video parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir,* Genes. XXXIII. Huc pertinent verba Christi in hodierno evangelio: *Qui enim ministrat, me sequatur. Quid est me sequatur?* inquit S. Augustin. in hom. super hoc evang. nisi imitetur? Et in hoc præcipue videtur consistere christianismus, quem Gregorius Nyssenus, initio operis, epist. ad Harmonium sic definit: *Christianismus est imitatio divinæ naturæ;* et ejus frater S. Basilus, hom. X. hexam. *Christianismus quid est?* inquit. *Assimilatio Dei, quatenus eam assequi posset humanæ fragilitas naturæ.*

VI. Sed qua ratione Deum imitari possumus, cum de illo scriptum sit: *Ecce iste venit saliens in montibus, et transiliens colles?* Cant. II. Quis tantos sequi saltus queat? Verum ut Jacob dixit: *Sequar paulatim sicut video parvulos meos posse,* ita sequemur et nos Deum pro modulo scilicet nostræ facultatis. Et primo, ejus immutabilitatem imitabimur per constantiam et æquanimitatem in prosperis et adversis. Unde S. Chrysost. hom.

LXXVII. in Matth. ait: *Semper stare et nunquam cecidisse divinum est atque mirabile:* et S. Greg. Nazianzen. orat. XXVII. ait justum dicere cum Deo posse id Malach. III. *Ego idem sum et non mutor, quæ est fixus in rebus minime fixis, immotus in certis et fluctuantibus, non aliter ac rupes quædam ventorum fluctuumque impetu non modo non concutitur; sed etiam incurantes undas circa se frangit.* Non moveant nos illecebrosæ opes, dignitates, pompe, voluptates, quæ in momento transeunt: nec terreat nos pauperies, morbi, ærumnæ, persecutions, quæ sæpe subito et semper in morte finiuntur: sic dii quidam terrestres erimus.

Secundo, ejus omnipotentiam, si anchoram spei nostræ in ipsum jaciamus. Ita enim apost. ad Phil. IV. ait: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* In quæ verba S. Bern. serm. LXXXV. in Cant. ait: *Omnipotens facit omnes, qui in se sperant.*

Tertio, ejus divitias et sufficientiam, si sua quisque sorte contentus sit: sic enim nihil appetens nullo indigebit et sibi sufficiens erit. Sic apost. ad Phil. IV. *Ego didici, inquit, in quibus sum sufficiens* (Græce mihi sufficiens) *esse;* quæ alioquin sufficientia proprie in solo Deo est.

Quarto, ejus præscientiam et providentiam, si tentationes providentes, nobis provideamus, et contra eas nos armemus. Item si novissimis prævisis prospiciamus rebus nostris et saluti æternæ.

Quinto, ejus clementiam et mansuetudinem, si injurias facile condonemus et tardi ad iram sumus: quemadmodum Hebræi dicunt, Deum habere lentes pedes, longas aures et latas nares. Quo sensu etiam dixit apostolus ad Ephesios, cap. V. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi:* ut scilicet donemus invicem injurias, sicut Deus donavit nobis in Christo, ut dixerat immediate ante.

Sexto, ejus misericordiam, si miserias proximorum sublevemus, hac enim virtute proxime accedunt homines ad Deum. Unde S. Gregorius Nazianzenus, oration. de cura pauperum ait: *Esto calamitoso Deus, ut vicissim Deus in tua calamitate sit tibi Deus.*

Denique, si Christum imitemur, Deum imitabimur. Ad hoc enim Christum nobis datus est ut esset exemplar imitationis Dei, quemadmodum datur puero exemplar elegantissimæ litteraturæ a magistro exaratum, ut illud sua manu imitari discat.

Hujusmodi servus Dei et insignis quidem fuit S. Laurentius, vere diaconus, id est, minister Dei videlicet, qui omnia, quæ habuit in servitium

Dei liberaliter impedit, opes Ecclesiæ sibi creditas, corpus et vitam suam, etc.

CONCIO IV.

QUONODO CHRISTUS ET LAURENTIUS GRANUM FRUMENTI FUERIT, ET QUIVIS CHRISTIANUS ESSE DEBEAT.

- I. Christus granum frumenti ratione persecutionum.
- II. Ratione jucunditatis. — III. Ratione utilitatis.
- 1. S. Laurentius granum frumenti ratione tribulationis. — 2. Ratione fructus. — 3. Ratione cibationis. — IV. Christianus quilibet granum frumenti: — 1. Si moriatur spiritualiter. — 2. Si fructum afferat. — 3. Si cibet esurientes, etc.

THEMA.

Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Joan. XII.

Hoc tempore, auditores, post collectas fruges exēunt formicæ de cavernis suis in agros, et colligunt ibi relicta grana, deferuntque in horrea, ut habeant unde per anni curriculum vivant. Hanc industriam admiratur et commendat nobis Sapiens, Prov. VI. cum ait: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus et disci sapientiam: quæ cum non habeat ducem nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi et congregat in messe, quod comedat.* Deprehendo in hodierno evangelio duo insignia frumenti grana, Christum et Laurentium. Igitur exemplo formicæ moniti examen in hodiernum evangelium, veluti in agrum, et colligamus ibi grana ista, ut inde vivat anima nostra.

I. Granum frumenti Christus est. Ratione persecutionum, quæ sustinuit. Ut enim granum, antequam fructificet, plurima sustinere debet; dum primo trituratur, vel flagellis tunditur, deinde ventilatur, postea cibratur, denique in agrum expertatur, et in terram projicitur, ac tandem emoritur; ita omnino Christus hæc omnia et plura pertulit. Colaphis enim et flagellis percussus est, in judicio ventilatus et falso accusatus: est ad hæc, de tribunal ad tribunal, de Anna ad Caipham, de Caipa ad Pilatum, de Pilato ad Herodem, de hoc rursum ad Pilatum rapta, et quasi in cribro agitatus est. Denique, de urbe eductus ad Calvarię montem, ibidemque in terram prostratus ac crucifixus ad extremum mortuus est.

Secundo, uti granum non ideo flagellis cæditur vel trituratur, nec ideo projicitur in agrum, quia inutile vel vitiosum sit, sed ut multa similia sibi proignat: unde necesse est ut granum illud sa-

num sit et vividum: ita etiam Christus non utique passus est et mortuus, ob aliquod delictum, sed ut plurimos Christianos faceret et videret semen longævum, ad quod omnino necesse erat, ut innocens pateretur. Propterea itaque paulo ante passionem suam protestatus est: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et hæc causa est, cur patientissimus Dominus servo se cædenti dixerit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Joan. XVIII. Nolebat enim Dominus ullius peccati convinci, ne velut reum putaremus mortuum, et ita fructus passionis ejus caderet.

Tertio, uti granum licet plurima sufferre coatur, nequaquam tamen frangitur ac resistit, sed omnia facile tolerat, sive tritaretur, sive ventiletur, sive in mola conteratur, sive in furno cremetur, sive dentibus communatur, sive in terram dejiciatur: similiter etiam Christus in omnibus tormentis quantumvis horrendis patientissimum se ubique exhibuit: *Et quasi agnus coram tondente se obmutuit,* ut Isaías predixit, cap. LIII. sive etiam ligaretur sive raperetur, sive velaretur, sive illuderetur, sive cæderetur, sive probris appetetur, sive in crucem prosterneretur, ipse granum frumentum: *Tamquam surus non audiebat,* et sicut mutus non aperiebat os suum, Psalm. XXXVII. Unde Isa. L. prædictur, membra tormentis ultra obtulisse: *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.*

II. Ratione jucunditatis, qua post mortem claruit. Ut enim granum in terra mortuum, primo multiplex resurget et majori ornatu, tametsi non absque jactatione tempestatum: sic etiam Christus, primo multiplex surrexit. Neque enim solus ipse revixit Christus, sed cum ipso mundus pene totus, qui per ejus mortem, fidem et gratiam acquisivit, adeoque cum ipso surrexit, ex sepulcro scilicet infidelitatis et peccati: idcirco cum Christo multa corpora sanctorum resurrexerunt, ut indicaretur seges Christianorum per Christum suscitanda. Quod si quis de magnitudine hujus segetis cognoscere aliquid cupit, legat martyrologia sanctorum et inveniet ibi tantum numerum omnis generis, status, conditionis, sexus, ætatis, ut sine dubio cum regina Sabæ spiritum amissurus sit considerans magnitudinem domus veri Salomonis. Videbit enim illic exercitum innumerabilium martyrum, virorum, feminarum, decrepitorum, juvenum, qui omnes, incredibili fortitudine, sævissima quæque tormenta læti superarunt: quorum multi ultro se ad nemem obtulerunt; alii passim velut oves occasionis

rapiebantur ad macellum et mactabantur tota die, ita ut primis quidem trecentis annis, si quotidie non unus et alter, sed quam plurimi simul occiderunt, nemo magis miraretur, quam quod in regno Salomonis tanta auri et argenti copia esset, quanta lapidum. Videbit illic cuneum apostolicorum virorum, pontificum, doctorum, predicatorum, quorum plurimi vitam cum sanguine deposuerunt, et omnes universim super gregem Domini custodias egere vigilantissimi, et pro illo se innumeris exposuere periculis. Videbit greges monachorum et eremitarum incomparabiles, qui velut apes in alveario Christo regi suo strenuissime servierunt, et velut greges caprarum montes perambularunt, in fame et siti, in frigore et nuditate, segregati ab hominibus, radicibus herbarum vicitantes, nocte dieque in rerum cœlestium contemplatione occupati: quo cibo et vita generi adeo recreabantur, ut cum regum aulis id non commutassent. Videbit chorum ss. virginum innumerabilium, quæ contemptis sæculi deliciis, in magna vita austerritate et perpetua virginitate sanctissimam duxere vitam. Omnis ista seges ex grano frumenti, Christo prodiit et prodit in hodiernum. O granum frumenti nobile.

Secundo, granum frumenti nudum seritur, sed vestitum culmo resurgit: sic Christus ejusque seges. Ipse quidem nudus in cruce obiit: sed gloria et honore circumdatus resurrexit: seges vero christiana, primo sub gentilitate nuda et deformis, per fidem et gratiam pulcherrime vestita est, ut ipsi etiam Dei oculis vehementer placaret. Quid enim erat videre, ver. gr. (ut e multis millibus paucissima videamus exempla) Ludovicum Francia regem lavantem manus et pedes pauperum, abstergentem et deosculantem? Eduardum Angl-regem cum uxore in perpetua virginitate viventem, pauperem item ulcerosum humeris suis e regio palatio ad ædem D. Petri fermentem? Elzearii comitis domum instar monasterii gubernatam? Gallicanum baronem lavantem pedes pauperum, pransuris aquam affundentem, infirmis servientem? Uxorem Theodosii imp. xenodochia perambularem, veluti infiam famulam abjectissima quæque facientem? Alexium decem octo annis in ditissimi et nobilissimi patris ædibus, peregrino habitu latentem, et omnia indigna sufferentem? Euphrosynam unicam patris filiam, virili habitu monachum per triginta annos agente, a patre proprio saepe visitatam, sed non agnitam, etc? Hæc omnia ignoravit gentilitas: raro etiam vidit lex vetus.

Tertio, seges e granis exorta tempestatis est

obnoxia, et iisdem agitatur, sed magno suo commodo. Sic etiam Christus, et seges christiana, quam progenuit, tribulationibus obnoxia fuit, maxime sub persecutionem gentilium et hæretorum, eritque semper: sed maxima sua utilitate. Si quæreremus ex adolescentibus et studiois qualem ipsi desiderarent hiemem, responderent utique totam serenam, calidam et claram, sine pluviis, sine ventis, sine nivibus: nimis ne deambulationes et ludi eorum impedirentur. Sed si quæreremus idipsum e rusticis, longe alter responderent: mallent enim in hieme frigora, nives, pluvias, etc. quia sciunt hoc pacto cohiberi segetem, ne subito exoriatur et sine fructu: quod fieret hieme calida. Ita res habet cum Christi segete, quæ tribulationibus purgatur et perficitur.

III. Ratione multiplicis utilitatis. Granum enim frumenti tandem fit panis, qui vitam hominibus conservat, esurientes recreat, languidos confortat, si tamen prius e spicis excutiat, in mola conteratur, et in furno pinsatur. Sic etiam Christus passionis suæ meritis, peccatoribus vitam praebet, justos in gratia conservat, et gustum ac pignus æternæ vite hic propinat. Idcirco enim eucharistiam in specie panis et vini instituit, et sub illis a nobis comeditur et bibitur, ad indicandum, quod ipse revera sit unicum nostrum pabulum, a cuius meritis et omnem nostram vitam, perseverantiam et merita desumimus, et veluti lac ab uberibus matris sugimus, si tamen ea nobis applicare per cooperationem nostram volumus, et sacramentis uti.

Primo, granum frumenti Laurentius fuit, quia etiam ipse non solum mortuus, sed præterea mirum in modum vexatus ac tribulatus fuit a persecutoribus. Fuit enim flagellis, fustibus et scorpionibus caesus, extensus in catastrophæ, lam'nis ardentes ad latera adustus, igne examinatus, et velut panis in furno coctus. Magnus Christi athleta, qui tam gravi certamini reservatus est, quod prædictum illi Xystus: *Nos quasi senes, inquit, levioris pugnæ cursum recipimus; te autem quasi juvenem gloriosior de tyranno triumphus manet.* Ecce suum martyrium leve existimat Xystus comparatione illius, quod subiturus erat Laurentius; nec vero immerito; quid enim tormenti esse putatis lento assari igne super craterem ferream? Auru esse oportuit Laurentium, cuius fides et charitas adeo magnæ erant, ut per ignem probari debuerint: æneum esse oportuit, qui tantis malorum ictibus est examinatus.

Deinde, innocentem et sine causa pertulit hæc Laurentius. Cur enim tot generibus tormentorum cruciatus est? Quia diis sacrificare noluit, quia

IN FESTO SANCTI LAURENTII.

Christianos prodere noluit, quia thesauros Ecclesiæ sibi commissos tyranno tradere noluit. Quis arguat ob hæc Laurentium? Imo quis non maximis laudibus extollat? Primum pietatis erat debitum, alterum charitatis, tertium justitiae. Itaque passus est Laurentius propter Christum et justitiam. Hæc autem summa gloria est. Denique, non solum patientissime tulit, sed magno insuper desiderio appetit martyrium. Hoc ex illo patet, quod pergentem ad martyrium Xystum sequebatur gemens, ac dicens: «Quo progrederis sine filio pater, quo sacerdos sancte sine diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consuevas, quid ergo in me displicuit paternitati tua? Numquid degenerem me probasti? Experiens utrum idoneum ministrum elegeris, etc. » O incendium charitatis! Et quid nimis si extremam non sensit flammam, qui adeo intus ardebat. Respondit illi Xystus: *Non ego te deserbo fili neque derelinquo: sed majora tibi debentur pro fide Christi certamina: post triduum me sequeris, sacerdotem levitu. Consolationem audio, an desolationem?* Sane hæc Laurentio maxima consolatio et gratissimum nuntium fuisse, vel ex eo probatur, quod mox commissos sibi thesauros pauperibus distribuit, et ad mortem se præparavit. Quis vero satis explicet Laurentii fortitudinem in tormentis perferendis? Dum scorpionibus cæderetur, dicebat ad tyrannum: *Infelix has epulas semper optavi: dum secundo cæderetur, subrisit et gatias egit: dum assaretur in craticula: Disce miser, inquit ad Valerianum, quia carbones tui sunt mihi refrigerium: item: Assatum est, jam versa et manduca.* Intelligite, auditores, cujus sunt hæc verba? Hominis an vero alicujus angeli? Hominis plane, similis nobis, sed qui æneo fortitudinis thorace munitus sit. Videre mihi videor trochylum aviculam, quæ dum in veru assatur, seipsam gyrate dicitur, Alberto magno auctore de animal. Hoc enim fecit Laurentius, dum quasi nihil sentiret, versari in craticula voluit.

Secundo, quia etiam ipsius passio multum fructum attulit, non tantum ipsi sed aliis. Etenim: *Sanguis martyrum semen est Christianorum,* ait Tertull. in apolog. imprimis autem sanguis Laurentii. Nam primo, videns miles quidam nomine Romanus juvenem quemdam pulcherrimum Laurentio vulnera abstergere, illico conversus Christianum se professus est et gloriosam martyri palmam accepit. Similiter et Hippolytus cum tota domo sua, in qua decem novem personæ erant, a Laurentio baptizatus est. Cui martyrium ambienti, et ad hoc prodere se volenti benedixit Laurent. In interiore homine absconde Chris

et postmodum dum clamavero, audi et veni. Clamavit Laurentius quando moriens tyranno illusit, et hunc clamorem audii non Hippolytus modo, qui et ipse postea martyr effectus est: sed universus mundus, e quo innumeris partim ad martyrium tanti herois exemplo ac fortitudine se censi sunt, partim attracti ad fidem. Quis enim videns tam invictum animi robur, non advertat Deum esse, qui in ipso loquatur et inhabitet? Non ita pridem ex Japonia scriptum est patribus societatis, in ea persecutione assatos esse a tyranno simul quadraginta homines, eoque factum se obtulisse quadraginta millia hominum ad simile martyrium. An multum aberravero si hunc ego fructum, post Christum, Laurentio adscripsero.

Tertio, quia etiam ipse cibavit turbam pauperem, dum Ecclesiæ thesauros sibi creditos jussu pontificis, pro cujusque necessitate agentibus distribuit. Idcirco enim Ecclesia de ipso canit: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Maximam vero laudem hac elargitione promeritus est Laurentius. Nam licet ipsius proprii non essent illi thesauri, vita tamen ipsius, propria ipsi erat, quam scivit sibi eripendam exquisitissimis tormentis, si thesauros non exhiberet. Itaque ne exhibere posset, pauperibus distribuit, atque ita non pecuniam tantum, sed etiam vitam suam in eleemosynam egenorum expendit. O heroicam charitatem! Si thesauros conservasset et tyranno præbuisset, incolmis fuisset. Et quid durum fuisset, tradere alienos nummos, ut propria servaretur vita? Sed maluit Laurentius eripi sibi vitam, quam pauperibus Christi patrimonium.

IV. Granum frumenti etiam Christianus quilibet esse debet: idcirco enim subjunxit Dominus: *Qui amat animam suam, perdet eam.* Sed quomodo granum ejusmodi esse possumus; si quidem modo martyres esse non possumus? Primo, si spiritualiter moriamur, id est, si ut apostolus monet, mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram; si appetitum rationi subjecerimus; si omnibus nostris sensibus et affectibus frænum injecerimus; si carnem cum concupiscentiis crucifixierimus, etc. Mortificabimus intellectum, si eum subdamus Deo fidei dogmata revelanti et Ecclesiæ proponenti, doctoribus prædicantibus articulos lidei, præcepta et consilia bona tradentibus: voluntatem, si eam legibus per omnia conformemus et quodammodo alligemus, ut ne movere quidem pedem audeat contra Dei, Ecclesiæ et superiorum mandata: memoriam, si injurias nobis illatas oblivione sepeliamus: phantasiam, si terrenas et inutiles cogitationes excludamus, et potius de rebus solidis co-

gitemus : passiones, si iracundiam reprimamus, inimicis beneficiamus; si ineptam lætitiam comprimamus; si tristitiam moderemur; si libidinis æstum extinguiamus; si cupiditatem deponamus: visum, si illicitos aspectus oculis interdicamus: auditum, si spinis eum sepiamus ne audiat defractiones, lascivas cantilenas, scurriles jocos, verba turpia, etc. gustum, si intra sobrietatis terminos eum contineamus; si cibos interdictos certis temporibus non attingamus; si ad necessitatem et sustentationem, non ad voluntatem vivamus : tactum, si ab impudicitia quam longissime eum removeamus: manus, si ab iniquo mamona, usura, muneribus illas contineamus: pedes, si post concupiscentias nostras non eamus, etc. Hæc et horum similia omnia facienda sunt nobis, si Christum et Laurentium imitari, si multum fructum afferre, immo si animam nostram custodire volumus. Qui enim hoc pacto non odit, sed perperam amat animam suam, certo certius perdet eam. Et hoc est, quod toties in evangelio inculcatur, sub aliis licet verbis, veluti : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, Matth. XVI. *Et regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud.*

Secundo, si fructum multum afferamus faciendo etiam alios bonos et alliciendo ad virtutem, sive per doctrinam, sive per jussionem, sive per consilia, sive per exempla. Debent enim concionatores et doctores instruere, parentes bene educare liberos, patresfamilias bene gubernare familiam, magistratus subditos, ludimoderator discipulos, proximus bono ædificare alios. Alioquin qui amat animam suam, id est, qui otium tantum et propriam quietem querit, sibi tantum vacare vult, ad proximorum necessitates et calamitates non attendit, is profecto *perdet eam*. Hoc enim ostendit illa Domini parabola de servo pigro, Matth. XXV. qui reposuit talentum acceptum in sudario, quod cum usura reddere debebat, audiit : *Inutili servum ejicite in tenebras exteriores*.

Tertio, si cibum prebeamus esurientibus, et liberales simus erga pauperes. Quod enim ait Dominus : *Amen dico vobis, nisi granum frumenti cades in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, etc.* Hoc etiam de pecunia intelligere debemus; si enim cadat in terram, id est, sinum pauperum, multum fructum affert, alioquin solum manet. Scio mundum aliter loqui, videlicet; nisi pecunia adhibeatur ad pompam, splendorem vestitum, apparatus domesticum, etc. vel ad convivia et pocula, et in ventrem dejiciatur; vel in arcam recludatur; vel ad usuram detur, tunc peribit aut sola manebit. Sed contrarium docet Chris-

tus nimur nisi mittatur eo ubi servetur æternum, qualis est sinus pauperum, tunc ipsa perit. Sive enim mittatur in ventrem, tunc corrumperetur; sive in cistam, tunc ærugo eam consumet et fures effodient, etc. Locus optimus est sinus pauperum, ubi cum seniore servabitur.

CONCIO V.

LAURO COMPARATUR LAURENTIUS.

- I. Dispellit venena. — II. Fulmine non tangitur. — III. Semper viret. — IV. Abdicat ignes. — V. Coronat virtute.

THEMA.

Beatus Laurentius Christi martyr triumphat in carnis. Vox Ecclesiæ.

Plinius, libro XV. vocat laurum *gratissimam dominibus janitricem Cæsarum pontificumque*, quæ et domos exornat et ante limina excubat. Hoc honoris titulo merito nos exornamus martyrem Laurentium, non utique frustanee a lauro appellatum. Exornat enim totam Ecclesiæ domum et quasi ante limina excubat, dum eam et sua fortitudine condecorat, et sua fide defendit. Imprimis vero adornat Romanum, Romanorum olim imp. unaque pontificum sedem, totius christiani orbis communem domum, dominam et caput : *Quam enim glorificata est Jerosolyma Stephano, tam illustris facta est Roma Laurentio*, ut scribit S. Leo papa, serm. de hoc sancto. Hunc ergo videamus, quam bene cohæreat nomini suo, qualis nimur sit laurus.

I. Credita est laurus dispelleré venena; unde lustrationibus seu purificationibus adhibitam scribit Plinius, lib. XV. c. XXX. et qui periculum feliciter effugissent, laureum baculum gestare dicebantur. Facit hoc Laurentius, quia hæresecos venenum dispellit et enervat. Fuit enim levita, seu diaconus, minister xysti papæ, quem ipse vocabat patrem, et a quo vicissim vocabatur filius : minister, inquam, in sacrificio missæ; unde ait : *Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras*. Ad hæc custos erat thesauri ecclesiastici ss. vasorum a xysto constitutus : item signo crucis cæcos illuminavit. Sic enim August. ser. XXXVIII. scribit de eo : *Crucem Christi super cæcorum oculos faciebas, cæcos illuminabas.* » Quæ omnia ostendunt, Laurentium fuisse catholicum. Nemo autem negabit fuisse virum sanctum, et esse generosum atque illustrem martyrem Christi. Eliminat ergo et a vera Christi Ecclesia expellit omnes sectas, quæ papam abo-

IN FESTO SANCTI LAURENTII.

minantur et missæ sacrificium, sacra item ecclesiæ vasa et signum crucis, unaque ostendit eas a vero aberrare totas.

II. Laurus fulmine non icitur; idecirco Tiberius imperator tonante cœlo, jugiter in capite gestabat lauream coronam, teste Sueton. et Plinio, loc. cit. ita et Laurentius tonitruis ac fulminibus mortem illi ac tormenta comminantis minime icatus aut percussus fuit; quia ea non solum contemptis, sed et epulas suas esse dixit. Imprimis enim Xystus jam cruci affixus prædicti illi sequeram, et acerbius martyrium. Sic enim canit Prudentius :

Fore hoc sacerdos dixerat, jam Xystus affixus cruci, Laurentium flentem videns crucis sub ipso stipite. Desiste decessu meo fletum dolenter fundere : *Præcedo frater, tu quoque post hoc sequeris triduum:* et apud Surium : *Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus : te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus.* Quem hoc tonitru non percelleret? Prædictio acrioris supplicii, quam sit ipsa crux: sed hoc ipsum nuntium Laurentius optavit. Audite tonitru. Valerianus imperator ut Laurentium terneret, et a Christo absterret, jussit ante ejus conspectum in medium afferri omnia tormentorum genera, ut vel sacrificaret, vel illa experiretur. Sed quid ad hoc nostra laurus? *Infelix has epulas semper optavi.* Miratur iterum tyrannus : « Testor deos deasque te sacrificatur, aut torquendum tamdiu donec emoriaris. » Quid ad hoc Laurentius? « Deum meum collo, illi soli servio, et ideo non timeo tormenta tua, quæ ad modicum tempus durant. » Rursum horrendum in modum tonat tyrannus : « Aut diis sacrificabis, inquit, aut nox ista in te suppliciis expendetur : » sed intrepide Laurentius : « Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescant. » Iterum fulminat tyrannus : « Afferatur lectus ferreus, ut requiescat in eo contumax Laurentius : » jussitque eum extendi super cratem ferream. Sed audite Laurentium : « Disce miser, quia carbones tui sunt mihi refrigerium, tibi autem æternum supplicium præstant. » En tibi laurum illam, fulmini non obnoxiam. Sed lubet hic hærere auditores. Quis est qui hæc loquitur? Quid ad quem loquitur? Angelus est, an homo? De cœlone hæc loquitur an de terra? An forte ex castello aliquo munitissimo? An ad hominem plebeium, an ad imperatorem? Homo sane est et adolescens, in ipso ætatis flore, imperatori tyranno coram et in faciem hæc talia et tanta loquitur infracto et inconcuso animo. Nimur alta mente tenebat illud Salvatoris monitum : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Hæc igitur est laurus, quam in similibus pericu-

lis minis et terroribus, capiti nostro imponere debemus. Cogitemus Laurentium, juvenem decorum : thesauro custodem atrocissima quæque tormenta, et ijs ignes spernentem, immo hæc desiderantem, ut animam salvaret. III. Laurus semper viret, tam hiemi, quam estate, nec perdit folia sua, Plin. lib. XVI. cap. XX. ita et Laurentius semper viruit robore et constantia, tam in tormentis, quam extra, sibi semper similis. Nam cum lapidibus os ejus contunderetur, subsidens Deo gratias egit, similiter in craticula : *Assatus gratias ego, inquit, semper etiam retinuit folia, id est, loquendi libertatem cum tyranno imperterritam, illius perfidiam et crudelitatem redargens, ne non ad acriora tormenta inferenda eum provocans, et quodammodo lacescens, siquidem tyranno velut victo insultavit; uti cum requisitus de Ecclesiæ thesauris ostendit ei greges pauperum, quibus eos distribuerat, ne tyranno cederent dicens : Ecce isti sunt thesauri.* Rursum, quando proposita sibi tormentorum instrumenta vocavit epulas suas : iterum quando eum appellavit *tyrannum et miserum*: denique, quando in craticula semiustulatus eum quasi irridens dixit : *Assatum est, jam versa et manduca.* Annon intelligimus his vocibus provocari imperatorem ad majorem crudelitatem in martyrem exerendam? An hoc non est tyrannum velut victimum et imbecillum irridere, quasi non tantum possit cruciare, quantum martyr pati? Et sane Valerianus victimum se professus est. Ecce lignum tibi quod : *Plantatum est secus decursus aquarum et folium ejus non defluet*, Psal. I. Nisi enim plantatus juxta Christum et flumine gratiarum irrigatus fuisset, quomodo folia retinuisse, tam inquam, loquendi libertatem? Nimur hic impletum est illud Christi præsagium : « Cum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquimini; dabitur enim vobis in illa hora, quid loquimini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. »

Sed expendamus hæc verba, auditores. Scribunt Plinius et alii, lauri folio annum fastidium purgare aliquas volucres, uti palumbes, merulas, graculos, perdices. Quando ergo tedium aliquod aut tristitia nos invaserit, arripiamus isthæc folia seu verba hujus martyris. Quid est quod nos patimur? Num lapidibus contundimur, num scorponibus et plumbeis cædimur? Num ardentiibus laminis urimur? Num lento igne torremur? Minime gentium. Modico ære fraudamur, levi contumelia aspergimur, verbo uno tangimur : et quanta in nobis impatientia? Quæ animi dejectione? Deinde, quo nos loco thesaurizamus? In ter-

CONCIO VI.

ra, an in cœlo? Laurentius in cœlo reposuit thesaurum, dum abscondit in sinu pauperum. Hujus sapientissimam industriam secutus Amedæus dux Sabaudia, cum rogaretur a quibusdam oratoribus num et canes haberet venaticos, annuit et postera eos die redire ad se jussit. Cumque jam adesset, ostendit eis dux ex una parte ædium ingentem pauperum turmam una discumbentium: *Atque hi sunt, inquit, canes mei, quos a lo quotidie, quibusque cœlestem gloriam me spero venaturum,* Raph. Vol. I. II. geograph. Ad hæc, itane constituti sumus, ut in media tribulationum et afflictionum nocte dicere cum Laurentio possimus: *Mea non habet, sed omnia in luce clarescent.* Ita nihil tunc perturbamur, ut cum S. Job nihil stultum loquamur contra Deum, sed insuper eum laudemus, et cum S. Laurentio tribulationibus insultemus? Felices nos si hoc faciamus, sed ve- reor ne hæc avis rara sit in terra.

IV. Laurus, inquit Plinius, loco dicto: *Mani-feste abdicat ignes crepitum et quadam detestatione.* Noster Laurentius manifesta protestatione ostendit se contemnere ignem, siquidem in eo tyranno insultavit et Deo gratias egit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Non erant isti crepus tristitia aut impatientia, sed gaudi et victoriae. Quia enim tyrannus victoram de martyre sibi pollicebatur, et jam triumphum adornabat, non debuit Laurentius tacere in hoc articulo, ne dolore victus crederetur. Olim incendiabatur laurus, si abunde crepusset, felicitatem portendi opinabantur; unde Tibullus: *Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.* Ita signum Victoriae optimum dedit Laurentius, cum ex igne Deum laudavit, et tyranno insultavit, anno 471. Orthodoxus quidam philosophus cum Ariano ex igne disputavit, et comprobavit fidem, illæso corpore et vestibus, sub Acacio Constantino-politano episc. apud Baron. anno 471. Nihilominus fecit noster Laurentius: itaque ex igne epinicia sibi canit. Quam putamus istos crepus doluisse tyranni auribus? Quanta confusione recessisse eum Laurentio relicto? Atque ita dolet dæmoni nostra patientia, si in tribulationibus non modo non de- jiciamur et murmuramus, sed gaudemus etiam et laudemus Deum. At quis nostrum audet vel ad minimam horæ partem descendere cratem Laurentii?

V. Denique, lauro coronabantur triumphantæ Cæsares, teste Plinio, loco citato. Ita et Laurentius corona triumphalis erat Christo, Ecclesiæ, Xysto, sibi ipsi Christo, qui in ipso vicit mundum, et sic est: *Corona gloria in manu Dei,* Isa. LXII. quia ut vinceret Laurentius, id a victrice manu Christi accepit: Ecclesiæ, quæ per ipsum vicit

idolatriam et vincit etiamnum hæresim: Xisto papæ, qui in Christo eum genuit, et ad palmam promovit, animavit, confirmavit, atque ita dicere ei potuit id apostoli ad Philippenses V. *Gaudium et corona mea: sibi ipsi, qui seipsum vicit, seipsum abnegavit odioque habuit animam suam, tradendo eam in mortem, acerbissima tormenta, lentam denique ignis combustionem.*

Superest, ut hanc lauream faciamus etiam nostram. Sit ergo nobis Laurentius laurea triumphalis, contra hæreses imprimis, quas ipse tamquam catholice fidei assertor strenuus sternit et conculcat: sit laurea contra minas et vana mundi terriculamenta: sit laurea ad loquendum et operandum ea, quæ ad Dei gloriam et salutem nostram pertinent, summa libertate: sit laurea ad sustinendum fortiter quascumque tribulationes, ipsam etiam mortem, et si opus sit pro Christo subeundam. Amen.

CONCIO VI.

LAURENTII IGNIS NOBIS SALUTARIS.

I. Calefacit. — II. Illuminat.

THEMA.

Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. Psalm. VI.

Duo verbi Dei officia sunt, intellectum illuminare, et affectum inflammare. Unde a Jeremia, c. II. recte vocatur ignis, qui illuminat et calefacit. Quod præstat homini verbum Dei, hoc idem præstat mundo ignis ille, quo assatus Laurentius. Ad hunc enim ignem lumen fidei acceperunt Hippolytus, miles, Concordia ejus nutrix, familiaque tota, et qui eum sepelierunt, aliquæ plures: ad hunc calefacti sunt in fide, spe, et desiderio patiendi omnes Christiani. Unde S. Aug. serm. I. de hoc festo ait: *Illuminavit mundum plane Laurentius eo lumine, quo ipse accensus est: et flammis quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit.* Ad hunc ignem vos invito, auditores, sic enim ut spero, partim illuminabitur, partim caleficiemus.

I. Calefecit nos ignis Laurentianus quia conformat in fide. Quis enim sibi persuadeat juvenem hunc tam crudeli supplicio sanguinem suum fusurum fuisse, nisi certissimam et perfectissimam habuisset fidem Christi, veram fidem esse, quæ dicit ad salutem? Quomodo hoc invictum animi robur in mediis flammis perstisset, nisi supra firmissimam petram Christum, firmissime fundatum fuisse? Quomodo humanum corpus

IN FESTO SANCTI LAURENTII.

alioquin dolorum tam impatiens, tantum incendium ferre potuisse, cum tanta alacritate et constantia, nisi divinitus roboratum fuisset? Quis dubitet eam esse veram et plusquam humanam fidem pro qua asserenda et comprobanda hic ardore ausus est, imo arsit, et in craticula Deum non negavit, et ad ignem applicatus Deum confessus est? Verum et genuinum oportuit esse aurum, quod per ignem probatum est: quod si victimum et alchimicum fuisset, in igne deperiisset. Miris et varios modos tyranni excogitarunt, mira et exquisitissima tormenta, quibus fidem Christi expugnarent. Novum et atrocissimum in Laurentio tentavit Valerianus lentæ unctionis, postquam alia multa frustra adhibuisset, totamque noctem in cruciando eo consumpsisset. Referunt scriptores ignem Chaldæorum deum, Canapo Ægyptiorum deo, publico certamine victimum: siquidem Ægyptii urnam aquam refertam, undique perforatam, cera tamen oblitam, in dei sui formam adornarunt et Chaldæorum deo, igni apposuerunt, a quo resoluta cera, stillans ex urna aqua ignem facile extinxit, et Chaldæos pudefecit. Aliiquid eiusmodi videre est in certamine Laurentii martyris fortissimi. Pugnat pro diis suis Valerianus, variis tormentis et imprimis igne accenso: pugnat item pro suo Laurentius, et gloriose vincit, dum in mediis incendiis insultat tyranno, nedum ut in partes ejus concedat. Contendebat tyrannus, ut martyri Christum auferret, sed martyr Christo fortius adhæsit: contendebat martyrem affligere et contristare, sed martyr solatio plenus et in spiritu exultans irridet tyrannum: contendebat martyris nomen extinguere, sed martyr hoc ipso celeberrimus factus est gloriosus: contendebat martyri vitam et fortunas omnes auferre, sed hoc ipso eum bonis omnibus auxit et cœlo transcripsit. Vivit adhuc cum gloria Laurentius in cœlo et in mundo: contra Valerianus anno sequenti statim Sapor regi suppedaneum præbuit, ab eo denique exoriatus et sale conditus est, Baron. an. 262.

Secundo, quia confortat nos in spe. Ostendit enim hic ignis, quam Deus adgit suis, tempore tribulationis. Nisi enim Christus præsentissime illi adstitisset, quomodo sævum hoc et durans incendium superare tam hilari animo potuisset? Quomodo tyranno insultare? Quomodo in eo gratias agere? Qualia enim sunt hæc verba: *Disce miser, quia carbones tui sunt mihi refrigerium?* Assatum est, jam versa et manduca? *Gratias tibi Domine, quia januas tuas ingredi merui?* Quis non existimet loqui hæc Laurentium inter epulas et delicias? Quomodo externij illius incendi et dolorum obliviscitur? Qui fit, ut singultum nullum,

ejulatum nullum, querelam nullam in tanto cruciatu edat? Nimirum, Christus verus Samaritanus vulneribus ejus oleum infudit. Vel certe angelus, qui prius visus est Romano vulnera ejus extergere linco, eadem nunc lenivit et Laurentio? Et quomodo? Internis consolationibus: ostendit enim illi, quod pro Christo pateretur, quod brevi eternum cum ipso sit futurus: quod Ecclesiam hoc martyrio lætificatur, etc. non abstulit cruciatum, sed addidit solatum. Hoc est quod apud Isaiam, c. XLIII. dixit Deus: *Cum transieris per aquam tecum ero, et flumina non operient te: cum ambulaveris in igne, non combureris.* Pulchre S. Athanas. I. de incarn. Verbi, et ex eo a Leocastro: « Sicut, ait, ex amianto lapide (teste Dios. I. V. c. CXIII. et Plin. I. XXXIX. c. CXIX. utpote ducili et flexili textores sua fila deducunt, ex eisque telas et vela contextunt, que si in ignem injiciantur, ardent quidem, sed flammis invicta, splendida exent: ita B. Virgo agnum peperit, e cuius glorioso vellere, facta est nobis vestis immortalitatis, qua tecti nec igne comburi possumus, nec aquis concludi, aut re ulla, quin per omnia cruciamenta transeamus illæsi, et ad cœlum evolemus. » Hac ueste procul dubio induitus erat Laurentius, cum velut rubus arsit, et minime interim combustus est.

Tertio, quia non invitat, et accedit ad simile certamen et patiendum pro Christo, saltem aliquid. Quemadmodum enim unus insignis athleta in prælio omnia vulnera spen-sens, omniaque pericula fortiter adiens, cæteros committones animat ad sui imitationem et pugnandum fortiter: ita et Laurentius cæteros Christianos. Julius Cæsar visa Alexandri Magni statua ingemuit, quod ipse in tanta ætate nihil adhuc eorum gessisset, quæ Alexander juvenis patratabat: ita nos cum juvenis Laurentii imaginem intuemur, ingemiscere et confundi debeberemus, quod proiecta ætate nihil adhuc gesserrimus, quod ejus virtuti vel parum comparari queat. Quis enim nostrum auderet Laurentii craticulam concendere? Sed persecutor obest? Deo sint gratiae. Si enim minima quæque ferre non possumus, quomodo lentum ignem ferremus? Si pecuniam egenti dare non possumus, quomodo sanguinem fundemus? Si levia verba, quæ per aerem volant, sustinere non possumus, quomodo verbera ferremus? Si ad horam orare, concioni interesse, uno die jejunare non possumus, quomodo in lecto Laurentii ignito recubare? Cæterum quid August. serm. I. de hoc festo dicat, audiamus: « Non vero fratres dilectissimi, inquit, si ad consortium sanctorum martyrum pervenire volumus, de imitatione martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de